Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">

Polluerunt sanctuaria mea inter sanctum et prophanum non habuerunt dis-
tantiam et inter pollutum et mundum non intellexerunt et a sabbatis meis
averterunt oculos suos et coinquinabar in medio eorum principes eius
in medio illius quasi lupi rapientes predam ad effundendum sanguinem
et ad perdendas animas et avare sectanda lucra prophete autem eius linie-
bant eos absque temperamento videntes vana et divinantes eis menda-
cium dicentes hec dicit dominus deus cum dominus non sit locutus populi terre
calumpniabantur calumpniam et rapiebant violenter egenum et pauperem
affligebant et advenam opprimebant calumpnia absque iudicio Et quesivi
de eis virum qui interponeret sepem et staret oppositus contra me pro terra
ne dissiparem eam et non inveni Et effudi super eos indignacionem meam
et in igne ire mee consumpsi eos viam eorum in capite eorum reddidi
ait dominus deus Sequitur capitulum vigesimum tercium Ezechielis XXIII.
Et factus est sermo domini ad me dicens fili hominis due
mulieres filie unius matris fuerunt et fornicate sunt ibi
subacta sunt ubera earum Nomina autem earum Oolla maior et
Ooliba minor soror eius Et habui eas et pepererunt filios et filias.
porro earum nomina Samaria Oolla et Jerusalem Ooliba fornica-
ta est igitur Oolla super me et insanivit in amatores suos in assirios
propinquantes vestitos iacincto principes et magistratus iuvenes cupi-
dinis universos equites ascensores equorum Et dedit fornicaciones suas
super eos electos filios assiriorum universos et in universis in quos insa-
nivit in immundiciis eorum polluta est Insuper et fornicaciones suas quas
habuerat in egipto non reliquit Nam et illi dormierunt cum ea in ado-
lescencia eius Et illi confregerunt ubera pubertatis eius et effude-
runt fornicaciones suas super eam Propterea tradidi eam in manus ama-
torum suorum in manus filiorum assur super quorum insanivit libidine
Ipsi discoperuerunt ignominiam eius filios et filias eius tulerunt
et ipsam occiderunt gladio et facte sunt famose mulieres et iu-
dicia perpetrarunt in ea. Quod cum vidisset soror eius Ooliba plus quam
illa insanivit libidine et fornicacionem suam super fornicacionem sororis
sue ad filios assiriorum prebuit impudenter ducibus et magistratibus
ad se venientibus indutis veste varia equitibus qui vectabantur
equis et adolescentibus forma cunctis egregia Et vidi quod polluta